

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Huntemann

**Oratio De Tutella Sacratissimorum Angelicorum Spirituum proficua, Festivalis
Prima in Celebratissima Universitate Concinnata ...**

Rostochi[i]: Richelius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739998323>

Druck Freier  Zugang



d. Rostock. (Joh. Dunkermann) Kort.
mit Widmung
P. U. Theol. 1652.

ORATIO

DE

Tutella Sacratissimorum ANGE- LICORUM Spirituum proficia,

FESTIVALIS PRIMA

in Celebratissima UNIVERSITATE
ROSTOCHIENSI Concinnata, in Auditorio Ma-
jori Præsente Rectore Magnifico, præsentibus Reveren-
dis Admodum, Amplissimis, Experientissimis, Excel-
lentissimis Dominis Professoribus; Verbi divini Mini-
stris; Philosophiæ & artium Magistris; ut & Nobilissimis
ac Præstantissimis Dominis Studiosis, publicè memori-
terq; recitata & ad summi nostri Dei nominis
sui celebritatem publicæ luci statim com-
municata.

JOHANNE HUNTEMANNO,
HANNOVERANO, SS. Th. & Phil.
Studio.



ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Sen. Typogr.
ANNO MDCCLII.



NATIONIS
THURINGICÆ
ET
MISNICÆ

S.S. Theol. JURISPRUDENTIÆ
ET PHILOS.

*Eximiis, Nobilissimis, Præstantissimis,
Ornatisimis*

Dnis STUDIOsis in inclyta
Academia ROSTOCHIENSI

Musis mecum operam navantibus

*Dnis Fautoribus, Studiorum meorum spectatoribus
ac Evergetis meis summè Colendis.*

Hancce Orationem FESTIVALEM PRIMAM
(qvam publico sermone exhibebam) jam in lucem editam
in manifestum animi erga eos optimè affecti inditum nec non in
in promotionem reliqvarum orationum, à me posthac
itidem publicè (Deo volente) decla-
mandarum.

*Submissè
offerò & inscribo*

AUTOR



ALLOQUIUM.

MAGNIEICE DOMINE RECTOR

Admodum Reverendi, Excellentissimi, Amplissimi, Experientissimi, Clarissimi DNN. Professores omnium facultatum Doctores, Verbi Dei Ministri; Philosophiae & artium Magistri; ut & Nobilissimi ac Præstantissimi omnium scientiarum & artium DNN. Studiosi.

Summa profecto ac immensa
DEI Ter optimi maximi benefi-
cia partim ad devotam ac religiosam re-
cordationem, partim ad grati animi docu-
menta, qvemvis mortalium jure merito
obstringunt. Si enim (ut sensum si non verba primariae Ro-
manorum oratoris retineam. Ingrati ille Cuculli nomen
remq; meretur, qvi se ab homine qvodam beneficia accepisse
diffitetur vel dissimulat. Si rursum ingratorum bipe-
dum auget coetum, qvi nullum alicujus beneficiis molitur,
redostimentum. Si deniq; omnem prorsus humanitatem
solam & unicam gratitudinis capacem, exuisse, ille censem-
dus. Qvi obstatæ ac sempiternæ, aliorum beneficentias
mancipavit, oblivioni. Qvam impiæ qvæso ingratitudinis
ille mortalis insimuland⁹ erit qvi se à supremo omnium rerū
conditore maximis affectum esse beneficiis non profite-
tur. Qvam nefariorum ac sceleratorum hominum ille a-
scribi debet albo, qvi ne quidē devota divinā beneficia pro-
sequitur, memoriam, qvæx viternis temporibus digne redosti-

A 2

renon

Cic.

re non potest. Præcipue cum tot ac tanta sint ut nullus unquam mortalium, etiamsi angelica instructus sit Eloqventia, ea ne quidem enarrare, nedum dignis laudum Encomiis deprædicare valeat. Qvæ devotissimè qvoq; Patriarcha Jacob agnoscens, & piissimos mentis aculos, tūm in virium suarum imbecillitatem, tūm in divinorum beneficiorum ineffabilem multitudinē conjiciens, obstupefactus, exclamavit! Minores, sumus cunctis miserationibus tuis Domine. Ad qvas ut etiam cum omnibus cœlestibus Spiritibus, ex omnium seculorum memoria à bonorum autore Deo in hominem profectas, enumerando ac deprædicando, non exigui alicujus hominis voce, contentione, latere, sed Cherubinorum, Seraphinorum, ac Angelorum lingvis, ardore, flamma opus fuisset. Qvocirca venerabor eosdem religiosè silentio, & ut olim solertissimus Pictor, velo obumbravit, qvod penicillo exprimi posse desperabat. Sic ego, ineffabilia ac infinita Dei beneficia, omnivoce, omni laude, subilmiora, devota taciturnitate honorabo. Et unicum saltim istud Dei optimi maximi beneficium, qvod piissimā recordatione, submissoq; cultu, præterito Michaëlis Festo, Sacro Sancta Ecclesia proseqvebatur, in medium producam. Producam, inqvam, in medium, summum supremi Dei beneficium, qvo nos deploranda sorte, obscelus in ipsis etiam parentibus patratum, homines affecit. Dum nobis humi repentibus vermiculis, Sanctorum Angelorum tutelam & præsidium tribuit. Et simul maxima & plurima beneficia, qvæ è tam fideli ac diligenti Beatisimorum Spirituum, custodia, in universum genus humanum, ex immensa solius Dei Clementia, ac incomprehensibili prævidentia redundant, non tam ingeniosè aut eloqventer tamè ac modestè, recensere conabor, verum cum vovere non possim, ut mihi digna, tanto beneficio obtingat oratio, tale enim votum, excedit ipsam mortalium sortem, nedum meam mediocritatem. Ideo jam à vobis omnium ordinum

num Auditores Honoratissimi, ardentissimis efflagito pre-
cibus, ut sermoni meo indiserto labenti, sub onere admira-
tionis, facilem veniam pro vestra benignitate præbea-
tis, bonumq; ad minimum in rebus arduis conatum, non
improbetis.

H Omnes hoc fine à Deo omnium rerum crea-
tore conditos, & in has terras oblegatos esse ut Dei
& operum divinorum spectatores, immensorumq;
eius beneficiorū celebratores essent, neminem fore
arbitror, qvī ausit ire inficias. Ideo enim nobis, non can-
dem etiam qvæ cœteris animantibus corporis figuram su-
perius omnium rerum conditor concessit, sed cum cœte-
ra pecora prono cupore ad pastum abjecisset, nobis vultus
erectos tribuit, ut nempe non tantum pulcherrimam hanc
mundi machinam suspicere, sed etiam ex ejus admiranda
fabrica verum Deum investigare, investigati nomen & facta
innumerāq; beneficia in genus humanum collata, non so-
lum privatim considerare, sed etiam publicè celebrare as-
fvesceremus. Qvod jam ipsum autorum concernit à qvo *Autor*
deu fonte uberrimo qvodam, amplissima bonorum fluini- *Deus.*
na, toto terrarum orbe spersa atq; diffusa, emanant. Hic
nullus erit alius, nisi Deus benedictus in secula, qvo nil per-
fectius nil præstantius nil jucundiūs uspiam reperiri potest.
Qvi ipse enim omnia & super omnia & præter omnia *Scaliger*
est. Qvi ut exclamat Philosophus ipse est θυράμηισχυεό-
τατο. καλην δε εὐωφίσετο ζων δε ἀδύτατο. ἀγέρη
δε κολυσος h. e. potentia validissimus, decore formosissi-
mus, vita immortalis, virtute præstantissimus. Hic ille est *Aristot.*
Deus, cuius infinitam essentiam aquila licet humanae sa- *lib. de mu-*
pientiae Aristot. videlicet c. 6. de mundo, non penetravit. *do cap. 6.*
Hic ille est, cuius divinitatem Evagrius, cum de ipsa aliis *Soc. lib. 6.*
tām prolixo ac temerario discursu, disputantes audivisset, *Tripariuta*
nequaquam esse definiendam & rectissime. Cum enim *Hist. c. 26.*
omnes

omnes aliae propositiones aut genus aut prædicatum aut speciem aut differentiam aut proprium aut accidens aut ex his compositam orationem habeant, nil horum prorsus repiri potest, in divinitate ineffabili, non tam exiguis ac junis humanis dissertationibus, quam devota & modesta taciturnitate adoranda. Hic ille est Deus qui Simonidi ad instantiam Hieronis Tyranni, de Dei essentia liberanti, tanto videbatur obscurior, quanto diutius ab ipso considerabatur. Hic denique est ille Deus, non solum dignitate majestate incomprehensibili, sed etiam liberalitate & beneficentia clarens, quæ tanta est ut ei similem invenire nequeas, licet omnia antiquitatis monumenta colligas & evolvias. Licet enim vel Titi Vespasiani vel Alexandri severi vel Dionisi vel Alexandri magni aliorumque plurimorum Imperatorum beneficentiam, perpendas Trutines tecumque examines. Ea nihilominus, cum immensis divinæ majestatis beneficiis collata, nihil erit, quam putidissima & sordidissima tenacitas, quibusdam, & quidem paucis contesta. Cum Deus benignissimus, non paucis nobis, sed omnibus, nomine mortalium excepto, quotquot unquam vivimus, vivimus, & victuri. Non pauca, sed innumera contulit beneficia. In nos omnes, qui servi in fideles & prodigi fuimus, qui bona in creatione divinitus nobis concessa perdimus, qui nos immorigeros filios exhibuimus qui iussa & voluntatem patris coelestis sprevimus, qui suggestionibus Diaboli canrisque nostræ pravis concupiscentiis obtempavimus: nobisque inde gravissimas poenas attraximus. Qui in Adamo, ubi ille cecidit, cecidimus qui in eodem, ubi ille periit, periiimus, qui in locum imaginis, imaginem Diaboli substituimus, qui sapientiam, justitiam, primævamque, integritatem, naturâ facti filii ira & mundi de immundo concepti semine penitus dilapidavimus. In nos omnes in quam totam suam munificentiam totamque quasi profudit clementiam. Quid satis quidem luculenter in hoc eluces-

elucescit, qvod hominem ad imaginem suum formaverit, eiq; omnia creata subjecerit, qvod depravatum penitus & lapsum per filium suum unigenitum vindicem libertatis humanæ, ab æviterno interitu redemerit, qvod eundem è Diaboli fauibus eripuerit cœlestiq; illi ac sempiternæ hæreditati à qvâ jam ob peccata seclusus fuerat redonaverit. Qvod eidem Spiritum Sanctum unicum animarum solatium, unicas afflictæ mentis delicias impertierit. Qvod deniq; plurima se inferiora in sui nominis gloriam, creata, visibilia ac invisibilia, imò & se ipsum totum munificentissimè homini communicaverit, illumq; ipsum innumeris beneficiis mactaverit, de qvibus anteqvam digne verba facere inciperem, dies citius memet deficeret, & ante diem, (ut Poetæ verbis utar) clauso componeret vesper olimpo. Verum enim vero, non minus in hoc patebit luculentissimum divinæ liberatitatis documentum. Qvod nempe tot purissimorum & ab omni labo corporeâ secretorum Spirituum myriades, non solum in nominis sui sacratissimi celebritatem, sed etiam in ministerium & officia hominum creavit. Qui non obstante angelicæ suæ naturæ eminentia; nobis & qvibus nobis? ex embecillo corpore compactis, fragilibus, nudis, suapte naturâ inermibus, alienæ opis indigentibus, ministeria saluberrima ac fidelissima, exhibent ac hocce elapso anno exhibuerunt. De qvibus non omnia (qvod adūcere) sed præcipua hac vice & quidem breviter attingam, industriosq; ac solertiores emulabor pictores, qui cum in exigua tabella, magnam aliquam rem depingere volunt, non omnia promiscue, sed præcipua penicillo exprimunt. Verba certè desunt immenso huic Dei beneficio, qui angelicos ministros, sacratissimos illos Spiritus suppeditavit, propter eos, qui hæreditarem capiunt salutatis, uti totius orbis terrarum orator disertissimus, Epist. Heb. cap. 3. egregie differit. Mera gratia est, qvod maximus mundi opifex nobis an-

Heb. 3.

bis angelicos Spiritus velut nostræ vitæ custodes adjunxit, &
Ps. 91. qvod(ut cum Psalmista loqvor) Angelis suis mandavit de no-
bis ut custodiant nos in omnibus viis suis, ut nos in manibus
portent propriis, ne forte vel minimo pedis digito ad lapi-
Bernhard. dem impingamus. O qvantam nobis ut cum Divo Bern-
Serm. 80. hardo, devote angeloru.u mandato Dei custodiam Serm. 8.
perpendente, exclamem, qvantam, inqnam, nobis Divinam
hocce munus debet inferre reverentiam, afferre devotionem,
conferre fiduciam, pro præsentia reverentiam, pro be-
nevolentia devotionem, pro Custodia fiduciam! O qvam
Hieronim. magna, ut cum Hieronimo dicam, dignitas animarum fide-
sup. Mat. 8 jum, ut unaqvaq; habeat ab ortu nativitatis in custodia
sui angelum deputatum. Quemadmodum qvidam Poeta
Christianus cecinit, grandis honos animæ est, qvod qvævis
una ministrum custodemq; sui, de cœlo, nausta sit unū. Et qvæ
jam qvæso reformidabit homo pericula, si divina providen-
tia, eorū Spirituum stipetur cœtu qvorum vel ipsum vocabu-
Gregorius
in Homol. lū non tam naturæ qvam officii esse eleganter in Homoliis
Gregorius affirmavit: dicens Sanctos illos angelos, cœlestes
patriæ Spiritus, semper esse Spiritus, sed semper angelos vo-
cari neqvaqvam posse. Angeli enim vocantur dum mino-
Originat. ra annuntiant, Archangeli dum suprema manifestant, &
tum à Græco ἀρχι, qvod Principem, tum ab ἀρχιλω qvod
nuntio significat, principes, ac primarii nuntii appellantur.
Et hinc etiam aliqui specialia ut Michael, Raphael, Gabriel
nomina sortiantur, illis nihilominus nil aliud qvam digesta
munera sibi cœlitus demandata, qvam singulares sibi à Deo
destinatae actiones designantur. Omnes vero & singuli
Isidorus
de summo sunt ministri Dei & ex divino mandato ministri nostri, sunt
corporum nostrorum tutores, sunt ut Isidorus pulcher-
Bono. rimè recenser, sunt inqnam, Boni angeli ad ministerium
humanæ salutis deputati, ut cuncta administrent & regant
Berhard. omnia jussu Dei, qui non est contentus fragilitate murorum,
Serm. 12. in *Ps. 91.* sed ipsis hominum custodibus, angelicam custodiam sup-
ponit

ponit, sunt excubitores vigilantisimi, sunt viribus divinis
præditi, ut ne minimo, etiam in minutissimis, nemo ho-
stium nostrorum, qvibus undiqvaq; & undiq; simus cir-
cumdati, resistere possit. Sunt deniq; innumeri & innu-
merabiles Spiritus, ut non tantum supremam illam do-
mum, supremam illam civitatem, nec manibus factam, sed
solo verbo Dei fabricatam, repleant, sed etiam humanum
super greditur intellectum, qvi sua tenuitate innumeram
eorum multitudinem comprehendere non valet. Qvi si
lateri nostro ab ineffabili Dei benignitate non fuissent de-
mandati & ipsi non tam Strenue ac fortiter salutem atq;
incolumentem nostram propugnarent, & Deus benedictus
nostram carnem non refrenaret. Qvomodo per Deum im-
mortalem, tam potentiis, tam virulentis hostibus, resiste-
re possemus. Eqvibus jam primum locum obtineat, hostis
ille qvem intra nos foveamus, caro videlicet, è veteris pec-
catoq; originali, depravati Adami sangvine compacta, qvæ
suis delitiis, Cupiditatibus, adversus Spiritum continuò di-
micat, qvæ cum eo, qvovis momento obstinate collucta-
tur, qvæ capitales cum eodem dissensiones exercet. Dum
nimirum caro, fatente Bernardo, est misera, cœca, stulta,
non qværens consolationes, sed desolationes: Spiritus
verò Iuavis & promptus & ad qvævis Spiritualia ob-
seqvia propensissimus. Dum qvoque juxta venantii Ho-
norii opinionem. Caro de terra profecta, terrena curat
Spiritus de cœlo originem trahens in sola cœlestia sedulò
incumbit. Et qvis se tam contagioso hosti opponere pos-
set, nisi summi nostri Dei excubiis, sensum humanæ infir-
mitatis excedentibus, muniretur. Secundum jam locum ha-
beat mundus, totus in maligno positus & vel magnis affli-
ctionibus piorum mentes premens vel fucatorum Blan-
dimentorum illecebris Seducens. Mundus, in qvam, Johann.
qui ut Augustinus inquit, infidelibus plenus est sicut area cap. 16.
paleis & frumentis & sicut arbor foliis & pomis. Hic Tract. 95.

Primus
hostis

Bernh.

Venantius

Honorius

clementia-

nus in ex-

positione

orationis

Dominica

B

Secundus
hostis

Augustini.

Johann.

cap. 16.

Hic Tract. 95.

ille

Bernhar- ille hostis est, in qvo judicio Bernhardi de mundo, in qvo
dus in ser- inqvac, malitiæ plurimum, in qvo sapientiæ modicum, in
mone. qvo omnia sunt viscœsa, omnia lubrica, omnia opera te-
nebris & obfessâ laqveis, ubi periclitantur animæ & affli-
guntur corpora, ubi omnia vanitas, & afflœcio Spiritus. In
qvo illi, qvi sua corda mundo devoverunt, qvi suas spes in
ipso fixerunt; illi inqvac infelices ejus amasii, miserrime
seducuntur & tandem in funestum exitium præcipitantur.

Bernhar- Quem devote perpendens prædictus Bernhardus, qværit &
dus libro exclamat! Dic mihi ubi sunt amatores mundi, qvi ante
Meditatio- pauca tempora nobiscum fuerunt? nil ex iis remansit, nisi
nun... cineres & vermes. Attende diligenter qvid sunt & fue-
runt, sicut tu comedenter & biberunt, tiserunt, duxerunt in bonis dies suis & in puncto ad inferna descendente-
runt. Hic caro corum vermibus, illic anima eorum igni-
bus deputatur, donec rursus in felici collegio colligati sem-
piternis ignibus involvantur, qvi socii fuerunt in vitiis,
socii erunt in poenis, una namq; pœna illos implicat, qvos
unus amor in criminè ligat. Videtis? perversum iniquissimi
hujus hostis, mundi videlicet ingenium, videtis? qvi-
bus miseris mortales involvat cladibus & qvam deplo-
randam suis clientibus mercedem tribuat, adversus quem
omnipotens æternusq; Deus, ANGELICOS & sacratissi-
mos hosce ministros ad nos amandavit, ut nempe omnes
fraudes, qvas nobis struit declinemus, & ejusq; malitiam ac
indignationem superemus.

Jam in apricum producendus est hostis omnium teter-
rimus; perniciosissimus, impudentissimus, nempe Diabo-
lus dominator illic aeris, qvi quotidie ut leo rugiens nos
circumfit, qværens, quem devoret, & à quo qvicq; mali in
mundo reperitur, originem trahit, illumq; solum autorem
agnoscit. Et quis teterimum dubitat? qvi Homicida à prin-
cipio fuit conditi hominis, qvi transformans se in angelum
lucis,

i. Pet. 5.

Pſ. 5.

Gen.

lucis dolose & callidè primam matrem nostram, quam nat-
turâ sexuqve infirmiorem agnoverat, aggressus, eandem
defraudavit. Non immerito cum Gregorio, jumentum, *Gregorius*
Draco, Avis nuncupandus; qui tribus nefandis flagitiis; *lib. 33. Ma-*
luxuria videlicet ut jumentum, nocendi malitia ut Draco nclum.
superbia ut avis non solum tentare sed etiam expugnare co-
natur. Qvis autem Diabolum, qvicunq; sani sincipitis
est perniciosissimum esse ambigit; qui acutis ignitarum ten-
tationum Spinis, fragrantissimum fidei lilium compungere
& radicibus extirpare annititur. Et meherculè sat lucu-
lentum exitialis ac malitiosissimæ natutæ suæ in primis pa-
rentibus nostris, in Paradyso constitutis, edidit documen-
mentum, qvos radicibus perdiderat, ut perditæ æternum peri-
re cogerentur, nisi Jesus Christus summo è cœlestis Patris
throno missus, ex nostra miseria ad nos liberandos descen-
disset. O stupendam & pestiferam Diaboli malignita-
tem! Qquam accuratius Augustinus examinans, inquit, qvid
pravius? qvid malignius? qvidvè adversario nostro ne- *Augustinus*
qviā? qui possuit in cœlo bellum, in paradiſo fraudem, *in sermon.*
odium inter primos fratres & in omni nostro opere Zizania *communi*
seminavit. Nam in omni commestione posuit gulam, in *serm. 4.*
in generatione luxuriam, in exercitatione ignaviam, in con-
versatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in corre-
ctione iram, in præſulatu seu dominatione superbiam. In
corde posuit cogitationes malas, in ore posuit locutiones
salsas, in membris operationes iniquas, in dormiendo ad
sonnia turpia, in vigilando ad prava opera movet, latos ad
dissolutionem, tristes ad desperationem movere contendit.
Qvis deniq; huncce Cacodæmonem impudentissimum esse
ibit inficias? qui nulli hominum parcit, qui ipsissimum ser-
vatorem, versipelli tentatione adoriri non erubuit. Dicens
hæc omnia tibi tradam si me adoraveris, cum ne culmus
qvidem ipsi in toto terrarum orbe proprius fuisset. O
impudentissimum nequam! nec loco à devotis ac re-
ligiosis

ligiosis mentibus donandum, sed juxta Christi nostri servato-
ris & salvatoris exemplum, ardentissimis precationū su-
spiriis ab omnibus Christi cultoribus repellendum. Qui si in
qvem, certe in eum, qvem insignibus animi dotibus, ma-
gnisq; virtutibus consipuum animatvertit, suam exērcet
crudelitatem. Qvemadmodum enim latro, illis saltim in-
sidiatur, qyibus opes affatim suppetunt, sic Diabolus eos,
qvi maximis & raris virtutibus velut preciosis animi thesa-
ris abundant, insectatur, illorumq; interitu ac pernicie
summopere delectatur. Qvem, ut & alios prædictos hor-
rendosq; hostes, qvis à semet abigere? qvis de illis trium-
phum reportare posset? si sanctissimorum Spirituum tutellâ
præfidoq; distitueretur: Etsi ab eorum ope & opera suppe-
tias adversus hosce hostes non asseqveretur. O itaq; sum-
mè necessariam angelorum assidentiam! O maximè saluta-
rem eorundem custodiam! virtutibus nostris, è qvibus mi-
ram angelicæ mentes capiunt voluptatem, diligenter con-
servandam.

Qyorum cura, qvam pro nobis hominibus in terris
agunt, ut eò magis conspicua reddatur & elucescat, qvæso
respiciamus & aliquanto exaltius tres Hierarchias conside-
remus, & certe haud levem sed maximam Angelorum cu-
ram ac diligentiam deprehendemus. Nam qvod statum im-
primis ECCLESIASTICUM concernit, conservat sacratissi-
mi ministri summum illud, qvum vi est verbum Dei,
*Status Ec-
clesiasticg.* superius universo mundo, antiquius omnibus creaturis, per
qvod omnia è nihilo creata fuerunt. O qvanta per Deum
verbi hujus necesitas! Qvod ut Dio Chrysostomus ait: Est
ostium nos ad Deum dicens & ejus cognitionem nobis ape-
riens, est ostium firmissimum hæreticos arcens & in toto con-
stituens, neq; nos modo velimus aberrare permittens: Qvod
ostium nisi infringamus, nunquam nos inimici nostri po-
terunt expugnare. Per hoc enim ostium & Pastores & o-
mnes alii ingredientur in ovile. Qvis itaq; non desideraret
thesau-

thesaurum hunc omnis scientia & sapientia? qvis non optaret sapientia floribus pasci & vivifontis haustibus irrigari? Qvanta vero ejusdem verbi utilitas. Hanc nobis ab oculis ponit sacra scriptura clamans. sicut pluvia irrigat terram ut fructum proferat, sic doctrina hominem, ut justitiam operetur. Sicut stellas in cœlo non extinguit nox; sic mentes fidelium in hærentes firmamento verbi Dei non vincit iniqvitas. Ex hoc verbo tanquam ex scaturigine fluit & hauritur Salutaris de Dei essentia & volūtate cognitio; Sine qua omnis scientia ignorantia, omnis vita vanitas, omnis actio Peccatum, omnis conatus error, sine qua nullum datur in religione directorium, nullum in fide suscitabulum nullum in spe & charitate alimentum, nullum in cruce solatium, nullum in vita gaudium, nullum in morte refrigerium. Hac salutari cognitione qui carent, summo bono Ente omnium Entium optimo Deo carent. In quo tanquam in cardine salus nostrarum animarum vertitur, uti pfa veritas Christus apud Johannem contestatur. Qvod itaque rem tam preciosam, rem in æstimabilem verbum nempe Divinum Spiritus Angelici tam operose tueantur, qvod immenso suo valere omnia mundi Gazophi latia superat. Qvis id nisi abominandæ impietatis homo, maximo Dei beneficio non imputabit? Qvis deniq; Angelorum tutellam grato ac devoto non prosequatur pectore, adeò in statu Ecclesiastico conducibilem. In quo optimi hi ac fidelissimi Spiritus, conservant insuper & custodiunt, pios ac fideles Ecclesia Doctores, qui populo mandatum & voluntatem Dei ex verbo suo revelant, iisque viam æternæ salutis demonstrant, contra vero mendacia Diaboli, qui mendax est & pater mendacii & organorum ejus reprimunt, ne autorem verbi contumalia afficiant, verbum sempiternæ in columnatatis obscurent & cœlesti illa veraq; patria ad quam piorum vota collimant abducant.

Si statum spectemus POLITICUM; itidem hi sacra- Status Po-
tissimi liticus.

Tissimi Spiritus conservant & custodiunt pios gubernatores, Reges ac Principes; ad hærent semper lateri eorum, illorum dicta, facta, consilia ad bonum dirigunt, illos in periculis infinitis, qvibus hi sunt expositi, potenter defendunt; sunt profecto veluti milites præsidarii, qui rationem publicæ salutis habentes cavent, ne qvid detrimenti Republica patiatur. E qvibus unus nempe angelus Domini, cum Rex Ezechias in justè pateretur, in castris assyriorum in una nocte centum octoginta qvinq; millia mortalium mactavit. E qvibus alter, apud Danielum, contra Regem Persici regni pugnasse & adjutum Michaele ex principibus præstantissimis uno, victoriam de Rege Persarum obtinuisse, confitetur: ne dicam de aliis Regibus, Principibus, pro qvibus hi sacratissimi Spiritus, contra tyranorum potentiam fortissimas conserverunt manus, pro qvibus acriter atq; alacriter decertarunt, uti pasim tam sacræ qvam Prophanæ historiæ contestantur.

Status Oeconomico. Si ad extremum statum OECONOMICUM mentes nostras convertamus, & in hoc non minorē cetè ab angelis sagacitatem adhiberi deprehendemus, hi etenim castra metantur circa timentes Dominum; Hi parvulos curant; Hi adultos in viis suis h. e. in invocatione sua custodiunt; Hi ex hac caduca decadentibus vita præsto sunt, illisq; strenuas contra insultus Diabolicos præbent supprias. Exclamabo liberè cum Divo Bernardo in Ps. 91. in quiete: adsunt Angeli & adsunt tibi, non modo tecum sed etiam pro te, adsunt ut protegant, adsunt etiam ut prosint! Et qui qvæso Lothum cum Deus civitates Sodomam & Gomorram igne & sulphure subverteret, ex flammis ultricibus salvum eduxerunt? Spiritus Angelici. Qui viros tres à Rege Nebukadnezare vinctos & in medium ignis projectos Servarunt, ita ut ne capillus capitis eorundem, inflammatus fuerit, nec odorem ignis ullum spiraverint? Spiritus Angelici. Quinam ora Leonum obdurarunt, ne qvid Danieli in fo-

*Bernhard.
sermon.10.
in Ps. 91.*

vnam

veam eorum conjecto, nocere potuerit? Spiritus Angelici.
Qui petrum catenis vincitum cinctumq; militibus solverunt
& ex carcere salvum eluxerunt? Spiritus Angelici. Qui
sunt qui tot scelera tot dedecora à nobis avertunt? Spiritus
Angelici. Qui sunt, qui è bellis truculentissimis Respu-
blicas vindicant? Spiritus Angelici. Qui sunt, qui i regna,
urbes, oppida, pagos, homines ab omnibus calamitatibus
periculis, infortuniis, mandato Dei præservant? Spiritus
Angelici. O in gentem amorem, quo nos prosequuntur bea-
tissimæ mentes! Et O summam dilectionem charitatis divi-
næ! quæ ut mellifluus ille Bernhardus scribit super Ps. 91.
(Angelis suis madavit de te) qvis? qvibus? de qvibus? &<sup>Bernb. sa-
per Ps. 91.</sup>
quid mandavit? Deus mandavit & angelis suis mandavit,
Deus de nobis mandavit, Deus ut custidiant nos in omnibus
viis nostris mandavit.

Hunc nos jam pro tanto beneficio-ante sermonis hu-
jus Epilogum submississime veneremur. Huic, pro san-
ctorum Angelorum custodia, hoc elapso anno nobis præsti-
ta, gratias, quantas concipere possumus, agamus & ardentibus
porrò votis, verisq; gemitis, supplices obsecremus,
ne nobis ob nostram ingratitudinē aut impietatem, Ange-
licorum horum ministrorum tutellam proficiam, tutellam
svavem & jucundam adimat. Et ne ad tantum redigamur
infortunium, ne à tam dulci ac conducibili Angelorum
consortio divertium faciamus, vivamus in pœnitentia, qvia
gaudium est in cœlo & coram Angelis, vel unico peccato-
re resipiente. Agamus vitam, virtutibus qvibus sum-
mopere angeli delectantur, conspicuam. Caveamus omnia
scandala in vero timore Dei, nihilq; magis qvam peccata &
flagitia detestemur, à qvibus, maximopere abhorrent hi
Spiritus cœlestes, deputati in hac misera vita ministerium,
ut eosdem, in illa æviternè nulloq; felicitatis modo cir-
cumscripta vita, indivulso in omnem æternitatem socios
habea-

habeamus & incomprehensam illam majestatem Divinam,
simul cum lucidissimo eorundem choro celebremus ca-
nentes illud ~~teretissimum~~ Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus
Deus Zebaoth.

GRATIARUM ACTIO PHILIPPI
MELANCHTHONIS, pro svavi custodia ANGE-
LORUM quotidie ad summum nostrum Deum
corum Autorem fundenda.

Dicimus grates tibi summe rerum,
Conditor, Gnato tua quod ministros
Flammeos fixit manus, Angelorum,
Agmina pura,
Qui tuæ lucis radius vibrantes,
Te vident, lœris oculis, tuasque
Hauriunt voces, sapientiaeque
Fonte fruuntur,
Hos nec ignoravum finis esse vulgus,
Nec per ingentes volitare frustra
Ætheris Tractus, temere nec inter
Ludere ventos
Sed jubes Christo esse
Et pios cœtus hominum tueri;
Qui tuas leges venerantur, atq;
Discere curant,
Impius ardens odiis & ira
Nam tuis casris Draco semper infere
Bella, qui primus seclus atq; mortem
Inculit orbis.

Hic

Hic domos, urbes, tua templa, gentes
Et tuae legis monumenta rotas
Et bonos mores abolere tentat

Funditus omnes.

Interim sed nos tegit Angelorum,
Quae ducem Christum sequitur, Caterva
Atq; grassantis reprimit cruentus

Arma Draconis.

Angeli Lothon Sodomæ iuertunt
Intra infestos Eliseus hostes
Angelis cinctus nihil extimescit,

Bellica signa.

Tutus est inter medios leones
Angelis sepius Daniel Propheta:
Sic regit Semper Deus his ministris

Omnia nostra.

Hoc tuum munus celebramus una,
Et tibi noster chorus Angelique
Gratias dicunt simul accidentes

Conditor alme.

Et tuo templo vigiles, ut addas
Angelos semper, populoq; gnati
Qui tui verbum colit obsecramus

Pectore rovo.

Alius eucharistia pro fidelissima Angelorum Custodia quoti-
diè à piis mentibus intonandum, ab AUTORE in hanc
materiam compositum.

V Arniacæ Musæ paulo majora sonate
Ter sancto Jovæ qvod finxerit agmina pura.
Non frustra ut volent summi per culmina Cœli
Sed soveant sanctum per tot mala secula verbum.

G.

Et

Et celebrent summum cœli terræq; Monarcham,
Atq; piis simul ut præstent sua munia Tanto!
En chorus hic castus præstat qveat ut mala semper
Et technas satanæ procul hinc proscribere cunctas.
Qui qværit tecte rapido ut nos devoret ore.
Qui struit insidias nobis in retia pansa.
Qvo trahat & tractos, tenebris submerget opacis
Orci: qui spargit tristissima semina fævæ.
Iræ, qvæ tangunt & angunt corda piorum,
Nevè igitur nobis hostis noceat malus hicce,
Angelicæ turmæ circumstant undiq; nostra.
Nosq; tegunt, ne astute animam cum corpore lædat.
Propterea grates canimus tibi summe Jehova.
Turege, defensa porro nos & bona nostra.
Et chorus Angelicus nostris à partibus adstet.
Ne mala nos lædant dira Contagia pestis
Ne male svada fames corrumpat corpora neq;
Mavors disturbet divi præconia verbi
Sic dabimus merito, meritas pro munere grates
Teq; Deum nostrum, celebrabimus ore animoq;.

OMNIA AD SOLIUS DEI GLORIAM.

Ad Eximum & Doctissimum Dn.

JOHANNEM HUNTEMANNUM,

Philos. candid. & SS. Theol. Studiorum in-
dustrium, perorantem.

De

ANGELIS.

A DAMUM terrére acies potuere Cherubim:
Dum Paradisiacis exulat ille Rosis.
Et te non terrent laminæ, flammæq; Seraphim:
quin potius flamas, castra Dei, loqueris?

Ange

*Angelicas turmas, virtutes, crede, loquendo,
JANE, brevi terris, Angelus ipius eris.*

Honori & amori L. M. Q.
Augustus Varenius, S. S. Theol. D.
P. P. & Univ. Rostoch. Rector.

Agrippinae ad Pereximum Dn. Huntmanum, cum de Angelis peroraret, raptim ex Hollanti missa.

Disserit, atque theses Doctè defendit amicus
HUNTMANNUS solers Pieridum soboles.
Quicquid Aristoteles statuit, proponere promptè
Affolet hic noster, cætera spernit ovans.
Nunc Oratoris munus benè sustinet, atque
De Sanctis geniis verba polita refert.
Hinc te circumstat geniorum sancta caterva
Dirigit & gressus, ne tibi quis noceat.
Macte istuc studio, tandem patriamque revise
Præstans Orator, Philosophusque bonus.

Christiane Woldenbergio,
Phil. & J. U. D. & Prof.

Gnaviter ut Sophicos urges, Huntmanne, labores;
Sic quoq; Theologiq; non sine laude vacas.
Dum nobis tradis de cœli gente beatâ
Sermonem suavem; hinc charus eris Patria.
Perge, velut pergis, Tibi sic Phœbeia laurus
Pascitur, ipse tuum cinget Apollo caput.
gratulab. deproperabat.
M. Jonas Emmenius, Lubec.

Ad

Ad Eruditissimum
DN. JOHANNEM HUNTEMANNUM,
commensalem honoratisimum publicè
de ANGELIS
perorantem.

All expetendus est Viro solers labos,
Aut deferendum laudis & famæ bonum...
Tentanda quippe est, qva Te humo tollas, via, &
Victor Virum per ora per vagarier
Possis. Bonam gratiamur HUNTMANNO, modò,
Mentem conatusq; optimos, dum differit
Cœlestem, turmarum Ordines, Vires, Decus
Custodiam; magis Dei clementiam,
Cui servit omnis Spiritus; qvem Principem
Regemq; maximum Cherubim supplici,
Facie colunt, Venerantur, atq; adorant; cui
Et supplices Seraphim fiunt, Non desine
Re altius per Gloriam potentiae
HUNTMANNE, veram sic Tibi famam paras,
Ipsusq; Nominis boni non Angelus
Eris Malus. Laudem LABORI spondeo.

M. Gregorius Michaël.

LAURUS erit, doctum quo cinget tempora Apollo,
Et Tua quo cinget tempora Laurus erit;
Sic Tuana virtus meruit, notissima Varne
Perge! Deus studium prosperitate beet...

Doctiss. Dn. Commensali, de Angelis
peroranti deprop.
Johann. Kellerhaus, Lipp. Westph.

F I N I S.

*Hic domos, urbes, tua templa, gentes
Et tuae legis monumenta tota
Et bonos mores abolere tentat*

Funditus o

*Interim sed nos tegit Angelorum,
Quæ ducem Christum sequitur, Caterva
Atq; grassantis reprimit cruenta*

Arma Dra

Angeli Lothon Sodoma ruetur

Inter infestos Elisæus hostes

Angelis cinctus nihil extimescit,

Bellica sig

Tutus es inter medios leones

Angelis septus Daniel Propheta:

Sic regit Semper Deus his ministris

Omnia no

Hoc tuum munus celebramus una,

Et tibi noster chorus Angelique

Graias dicunt simul accinentes

Conditor

Et tuo templo vigiles, ut addas

Angelos semper, populoq; gnati

Qui tui virtutum culte obsecramus

Pectore

*Aliud eu&greek; pro fidelissima Angelorum
diè à piis mentibus intonandum, ab AUTOR
materiam compositum.*

VArniacæ Musæ paulo majora sonat
Ter sancto Jovæ qvod finixerit agmina
Non frustra ut volitent summi per omnia
Sed soveant sanctum per tot mala se

C.



the scale towards document